

*pius in tract. de tumoribus, p. 11. Quin & novissime Dn. van Rbeede in Horto Malabar. Tom. I. p. 68. apud Indos vulgatissimo experimento alexipharmacas nucis Vomicae vires approbari asserat.*

### §. VIII.

His igitur similibusque autoritatibus moti Empiricorum nonnulli eò usque progressi sunt audaciae, ut pro cura febrium intermittantium usum nucis Vomicae internum præceperint; quemadmodum ex observatione *D. Job. de Muralto in E. N. C. Dec. II. A. 2. p. 245.* rarum non est in Helvetia à Medicis ac Chirurgis quibusdam nucem Vomicaam cum radice gentianæ aliisque mixtam exhiberi contra Quartanam. *Wedelius* autem in *Amœnit. Mat. Med. L. II. sect. 2. cap. 4.* refert, sibi notum fuisse factorem quendam empiricum, qui usu nucis Vomicae non paucos liberaverit tertianarios. Non possum tamen quin his atque ejusmodi audaculis *Casp. Hoffmanni* oppositam autoritatem: *ego nolim, scribentis, tam temerarium esse quenquam, ut subito fidem det talibus experimentatoribus: si enim semel bene cessit, non ob id tutum est experimentum. vid. de Medicam. Officin. L. 2. cap. 163. §. 147.* De cætero, quò periculosior hujus Nucis usus, eò tutior Ligni erit, quod Colubrinum in officinis nostris appellatur, & nihil aliud est, quam arboris illius, in insula Timor nascentis, radix, quæ nucem vomicaam profert minorem, teste *P. Hermann*o in *Prodr. Parad. Batavi.* Æquiparatur hoc à nonnullis, e. g. *Grevv* in *Museo Soc. Reg. Angl.* ipsi Peruviano cortici in curandis febribus intermittentibus. Nec improbabile adeo hoc esse videtur: narcoticæ enim vires, quæ hoc in ligno temperatiores sunt, quàm in ipsa nuce Vomica, inordinatos spirituum motus sistere, amaror autem ejusdem  
inci-